

Petrus de Vinea

*Ep. V 131 (Fidelium
nostrorum eterna memoria...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 131 (Fidelium
nostrorum eterna memoria...)*

1249 (?)

Secretario Syciliae, ut faciat restitui bona patris proditoris filio fideli.

1. Fidelium nostrorum eterna memoria, nostro recondita pectori, quamquam, natura suum officium exequente, per solutionem debiti carnis ab obsequiis nostrae deuotionis quiescat, ex fonte tamen nostrae ac innatae clementiae liquidum fauoris riuulum, quem pater omnium ex gratia meruit, humana et benigna compassione percipimus diriuari misericorditer ad heredes. 2. Sicque in perpetuum apparent uiuere, dum in Domino mors eorum et merita in hominibus reponantur. 3. Vt autem noueris fidem Iohannis de Messana, nostri fidelis, in beneplaciti nostri opere claruisse, cuius obitum nobis displicuisse reserare dignamur, ex meritis, quae in eo uiuente perpendimus, dum ex fide memorialiter uiuit in nobis, uolumus, et presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus de balio filiae et heredis Iohannis predicti, te nullatenus intromittens, ipsum per P. fratrem eius, fidelem nostrum, constitutione a nobis super hoc edita non obstante, de speciali gratia nostra geri et procurari permittas. 4. Predictis fratri et heredibus suis, fidelibus nostris, in eorum uiribus, personis et rebus, ob defectum eiusdem Iohannis iniuriam uel grauamen inferri aliquatenus non passurus. Immo in omnibus, quibus honoris nostri zelus et fides prefatos defendi et manuteneri uoluerit, eis studeas ob maiestatis nostrae reuerentiam adesse.